21277
III Mag. St. Dr. kat. komp. P
C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS

... fan

Jambicki Thomae: Olympia mortis in campo Kotficio ad feralem tumulum Stephani Radomicki emensa.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 1093.

OLYMPIA MORTIS,

IN CAMPO KOTFICIO,

ad feralem tumulum,

Jllustrissimi olim & Magnifici Domini

D. STEPHANI

de Radomicko

RADOMICKI,

CASTELLANIDÆ CALISSIENSIS,

EMENSA.

Et dum

Cineres Augusti ejusdem Jllustrissimi,
in Ecclesia Zerkouiensi,
summo omnium dolore, & magno sepulchrali apparatu
conderentur,
in argumentum debitæ Venerationis,

A

M. THOMA IAMBICKI

Philosophiæ in Vniuersitate Cracouiensi Doctore, in Academia Posnaniensi Rhetorices Professore,

lugubri Calamo,

EXHIBITA.

Anno salutis 1691. Die 22. Mensis Ianuarij

65.

Typis eiusdem Academiæ Posnaniensis.

Ad Bibliothecam Collegii

Venimus in vitam, quidam in herba, alij in culmo pereunt, pleriq; in maturitate aliqua metuntur; & quæ causa quærelæ est? ante oculos sortis humanæ conditio ponatur, ita sati & nati sumus.

Lipsius:

Vita nostra nihil aliud est, quàm cursus ad mortem, & quamuis homines laborent vt diu viuant, currunt tamen ad terminum quem refugiunt.

Marlianus.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE
21.277 III

JLLVSTRISSIMIS
&
MAGNIFICIS DOMINIS,
D. MATHIÆ,
D. ANDREÆ ALEXANDRO,
D. VLADISLAO,
de Radomicko
RADOMICCIIS
CASTELLANIDIS CALISSIENSIBVS,
MOSINENSIBVS CAPITANEIDIS.

Jllustrissimi & Magnifici Domini piè defuncti

amantissimis Fratribus.

Dominis & Patronis Amplissimis.

OLympia Mortis, quæ nunc in KOTFICIO CAMPO, ad feralem tumulum Germani Vestri Fratris, non sine effuso, lachrymarum imbre, spectatis; præcelsis nominibus Vestris sisto. ILLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI. Haud enim alibi stationem suam & metam figere debuerant, quàm vbi infixus Germani amor, ima uiscerum occupauit. Rapuit eum atrox & feralis luctator Libitina ab oculis Vestris, non tamen ex animorum Vestrorum medulla. Viuit ille in sacrario pectoris Vestri, cui eò profundiùs se infixum

sentit

ſentit, quò cum ardentiùs doletis. Viuit & in poſthuma meritorum fama, quàm ille emenſus eſt breui compendio vitæ, tot panegyres promeritus, & coronas, quot profudit ſudoris & ſanguinis gemmas. Acceptate igitur ſerenâ fronte hæc Olympia, quæ ille cum Orbis ſtupore, victor non Olympiade, ſed momento decurrit; & quæ meus calamus in ſinum Veſtrûm deponit. Et licet non exæquat immenſum gloriæ illius, ac impar ſit capiendo ingenti laudum Oceano, nihilominùs beneuolo donate illum aſpectu, & ampliſsimi patrocinij pandite locum.

Veſtrarum Jlluſtriſsimarum

&

Magnificarum Dominationum

Cliens deditiſſimus

M. THOMAS IAMBICKI

Philoſophiæ Doctor, Academiæ Poſnanienſis Eloquentiæ Profeſſor.

OLYMPIORVM MORTIS STADIVM I.

Palmarem in puluere Olympico decúrrere circum,
non solus monstrorum domitor Alcides nouit.
Etiam is ferali Libitinæ cursus communis est.
Ita enim hic funestus luctator,
in his Olympijs,
perbellè athletam agit,
Vt nihil vnquam simile, Romanus spectauit Hyppòdromus.
Currit, proh dolor! quasi feruidis agitatus rotis,
minimè veritus perfidos Lescos, cum ferrea semente sibi insidiaturos;
Et quanquam capularis & pallidus sit,
minimè tamen expallet ad luctam;
capulo tenus immite suum ferrum,
citrà metum in meta contorquens.
Quocunq; duntaxat processerit, vbiq, Achaiam & Elidem habet:
tot pugiles animos & animas,
exangui pugno, ád pugnam prouocans.
Theatrum certaminis eius si quæris?
Angulus quilibet Orbis & Vrbis,
illi theatrum & catadromus est.
Scenici, Histrici, Megarenses, Piscatorij ludi, illi non placent;
Funebres ad palatum, in quibus
funesta hæc decurrit Olympia.
Ludis suis nihil vnquám simile Græcia dedit,
quàm athletæ huius macellaria palæstra & laniena,
En iam tot Alcides, & lacertosi Heròés,
lacertos suos & robur, non sine rubore
illi submiserunt;
manibus eius, ad manes, inter hæc certamina, detrusi:
Spectamus hoc triste spectaculum & tàm funesta Olympia,
sed non sine mentis scissura, & aculeo doloris,
ad vrnám & vmbram Tuam,

ingens CAMPI KOTFICIANI delicium,
& florum gemma,
Illustrissime olim & Magnifice Domine,
STEPHANE
de Radomicko
RADOMICKI,
Castellanida Callissiensis.
Nimirùm,
Vix immanem animum ád gloriæ metam vrgere cæpisti.
Vix pulcherrima vitæ Olympia,
per cruenta Martialis arenæ, virtutumq; stadia decurrere
& ecce potens athleta mors,
plusquam Steropis braechio te prosternit.
O validum impetum! & agoniam!
quæ validas Heròúm columnas
in busta sepulchralia trudit.
Necdùm lachrymarum guttas absterfimus,
adhuc nobis mentium fibræ calent;
cum vasto sonitu, validus Atlas Sarmatiæ,
benè patrium Cælum, inter tonitrua Martis baiulans,
dulcissimus Progenitor Tuus, corruerat.
Et ecce doloribus dolores novi incumbunt.
Lachryma lachrymam elicit & vrget;
quæ non guttatim aut per stillicidia:
sed totis ostijs in Lechicum Orbem descendit:
cum Tu magnanimus Athletá
Heròúm in puncto epitome & coronis
occumbis!
Fors hic fatalis voluerat athleta,
Vt Tu Iulius magnanimum Æneam sequereris;
& Paris Priamum comitareris,
vt sibi in CAMPO KOTFICIO facilius liceret ludere olympia.
Sed
inane votum amisit! an emisit?
Ipsa enim Aboriginum Tuorum virtus,
quibus nec pluma molle, sed plumbo asperum, emetiri stadium;
dulce fuerat,
Te ád æternæ memoriæ tramitem leuat:
Leuat & virtus propria, ad gloriæ metam.
quæ non florum perpluuiá in Campo Gentilio;
sed spinas & tribulos calcauit.

STA-

STADIVM II.

Celsissimi Radomicciani sanguinis, auito per tot sæcula splendorę insignitum.

Augustæ sanguinis Propagini,
ad æternitatis Gades eluctanti,
basilicus planè stimulus est, & palmare priuilegium,
pulchra per Aboroginum natales cunas gradatio.
Non tam altùm Nepotes euolant
per Pyramides, muliebri Babylonico fastu tumentes:
aut per tersum, ad mendacem famam Iovis Olympij, ebur,
quàm, dùm Lucina suorum extendit Maiorum lumina.
Nusquam sæcula Magnum Herculem proclamassent,
quanquam Hydram colubris repullulantem fregit:
ni de Magno Parente Ioue natus fuisset.
Immortalis Achilles nunquam fuisset:
ni de sinu vitreæ Thethydis prolapsus fuisset.
Et Æneas nunquam æneus censeretur;
ni spumea Venus, vt potè cælestis Dea,
cunabula illi strauisset,
Satis quippè augustum & Diuinum terris genus est,
quod in theatro Orbis,
statim ab aurora vitæ, vsq; ad occasum diei Aborigines numerat
& eorum viuam imaginem ad amussim refert.
Multos ex angulis in apricum erumpere videmus,
& illustria tenere:
sed hi velut inania halonum euanescunt:
quia solem natalium non norunt.
Mentitus quippè natalium splendor,
non perstringit quenquam, sed perstringitur.
Ad veram lucem aut nascere, aut prodi,
non stirps fortunæ, sed virtutis;
si Magnus ex Maioribus Tuis videri cupis
& opacarum nubium proles non esse.
Ex hac generis claritudine, & natiua splendoris luce,
ad metam gloriæ processisti,
olim splendidissimum
KOTFICIANI CAMPI germen,
nunc verò fatorum æstu arida labrusca,

Illustris-

Illustrissime olim & Magnifice Domine

STEPHANE

De Radomicko

RADOMICKI,

Castellanida Callisiensis.

Magnum ex Maioribus Tuis, sed Maximum ex Teipso,
quis Te non cernit?
nisi forsan ille, cui profuerat in obscuro suo latuisse
& in Campum Tuum non prodiisse.
Iactet vt vult hortorum euanidus cultor Alcinous
exuberantem pomariorum vbertatem.
Gentilitia Tua Tempe, huic non inuident,
Non enim humi repentes myricas,
aut inanes lappas parturiunt,
sed proceras Arbores;
ex quibus Regum solia,
Senatoriæ Curules, Ducum Clauæ,
Mareschalcorum scipiones,
Sarmaticis Scipionibus
excinduntur.
Campus hic non est theatrum Hyppomenis,
in quo Atalantam comprehendat;
sed Martis & Bellonæ.
in quo cruenta Olympia,
non per delicatam, rosarum Sybaritico luxu torpentium cadem;
sed per truncata hostium cadauera exercet.
Primum huius Kotficiæ Gentis Parenrem,
in solo solioq; Sarmatico adnenam veneror,
IOANNEM POCHNERVM:
qui primus ex AVSTRIA LIBER BARO
libertati Polonæ se asseruit:
illius in posteris suis acer vindex futurus.
Placuit illi tot REGVM & PRINCIPVM coloniam
in Poloniam transferri:
neq; soli natalis angustiis detineri,
ni vibrantiorem pupillam, ad solem Sarmaticum explorasset
& Campum Gentilitium in solio liberrimæ Gentis transplantasset.
Fors edoctus,
quasdam plántas non aliter fructificare,
nisi è natiuo solo peregrè transplantentur.

Erum-

Erumpit proximè ex hoc fertili nouali,
eximius eiusdem Campi honos,
mirum Parentis spirans virtutum odorem,
HENRICVS,
Magnò Æneâ dignus Ascanius:
qui vt Augustissimo sanguini ex æquo responderet;
& ex bicipitis Austriacæ Aquilæ nido recordaretur se evolasse,
in bicipiti Parnasso commorari Filium suum voluit:
vt arte & Marte Kotficijs responderet.
Pulchrum enim censuit magnanimus Heros,
si Aquilæ Sarmaticæ pullus,
cum Mineruæ noctua commercium haberet,
quæ ad doctoris Phœbi radios lippire nescit.
Post prima hæc in CAMPO KOTFICIANO iacta decora,
lunato poplite adorat calamus,
conchiliatas sanctiori ostro vertices:
nempè
IANISLAVM
Archiepiscopum Gnesnensem,
HENRICI FILIVM.
Hic
Vt non ex vano in ethymo nominis,
anagrammaticè laudem Sinai præferret,
in primo ætatis flore
Viâ Ardentinâ, ad pietatis aras processit,
flammas Bellonæ exosus.
Maluit inter Flamines, purpureo indutus ostro, versari
quàm inter flammas & strepentes Martis curas,
Ratus gloriosius episcopali pedo & tiara
terreri hostes Ecclesiæ,
quam hastâ aut ense Patrios tueri focos
vt potè totus pietatis focus & Lipara.
Nec ab eius vestigiis recessit.
BORISLAVS,
quem arcano Numinis consilio
CLEMENS V.
Summus pro tunc Nauiculæ PETRI Nauarchus,
in Archiepiscopum Gnesnensem consecrauit
sacras animi dotes in eo scrutatus,
Dignus enim erat,
vt in eius sinu lilia Gnesnensia,

C & pur-

& purpurea D. ADALBERTI ROSA requiesceret,
qui plenus odor Kotficiani agri haberetur:
Dignus,
Vt Antecessoris sui vestigia sequeretur.
cuius traducem animam,
non ficta metempsichosi,
in praecordia sua transfuderat.
Huius zelum in promouendo Dei cultu,
si quis scrutatur?
Cænobium & Ecclesiam Zninensem Ordin: Prædic:
ingrediatur
Frigida saxa, mutiq; lápides, non sine murmure vocis,
clamabunt eius munificentiam,
quâ plusquam Promethei face animata,
aut Diuinâ Mercurii virgâ erecta steterunt.
Etiam huc passu composito,
Vrget pedem & non leues circumfert incessus,
quô duo lumina & columina Kotficiæ Gentis,
sacro murice fulgentia præcesserant.
nimirùm
fronde triumphali redimitus tempora lauro,
Musarum Sacerdos,
Præsulum gemma,
Regum & Principum deliciæ, & voluptas,
A N D R E A S
Archiepiscopus Gnesnensis.
Huic facundius cerebrum quam Ioui,
Non vnam ille sed millenas,
absq; dolabra Vulcani,
parturire potuit Mineruas.
vbi multos Orthodoxæ fidei velificantes libros concinnauit
contra immanem hydram,
nimio fastu ebriam hæresim.
Bicornis eius Infula, bicipitem Parnassum præferrebat.
in quo laureatus latuisse credebatur Apollo,
& suaui enthusiasmo carmina in paginam fundere.
Pulchrum enim est, dum pulhro fœdere
libris ligantur tiaræ,
& suffragium à capite poscunt.
Regum & Principum consilia,
eò verti videbantur;
quô illius sententiæ authoritas fluctuantes in turbido-
dctor

detorquebat animos,
Tota Reipublicæ salus, in maturo eius consilio pendebat,
animam suam illum rata;
ni implacabilis Libitina non sine graui cordolio
tempestiuè illum terris eripuisset.
Post hunc felicem
in Gnesnensi Lilieto commorantem ternionem,
an verius Diuinioris Neptuni Tridentem,
(Piscatoris inquam hominum)
Cuiauiensis Cathedra ad hæc Olympia venit.
Et hanc gloriari fas sit, lectissimo Kotficiani agri flore,
& maturo spectatissimæ virtutis manipulo,

HENRICO

Episcopo Cùiauiensi.

Præsulis huius Gentilitio Agro multum debet Cuiauia,
ex quo tot candida manibus sumpsit lilia plenis,
&profusâ liberalitate squallorem templi detersit.
Terminalem claudit circum,
non tamen terminum scribendi de se,
Sacris Flaminibus adnumeratus
Sacræ Themidis tripos,

NICOLAVS

Archidiaconus Posnaniensis, Gnesnensis Canonicus V. I. Doctor.

Hic
profugam Astraam cælo, in Campum Gentilitium deduxit.
Arma suâ illius armis superintulit,
vt innueret,
non frustra Gladium, supra Gentilem Campum,
Kotficiis datum esse:
nisi vt quisque sciret, illos esse
asylum innocentiæ, reorum scopulum.
Illum Tu verè dixisses, Patheon Iuris & Areopagum Iustitiæ,
qui lynceam in Causis Pontificiis perspicaciam,
tantam habuisse credebatur,
vt Aristorides alter appellaretur.
Sed nec frigidum libertatis Ecclesiasticæ vindicem puta.
Ita enim pro securitate illius sudauit & arsit,

apud

apud Serenissimum olim Regem
ALEXANDRVM I.
dum Priuilegia & Statuta Immunitatis Ecclesiasticæ,
contra raptores & inuasores bonorum spiritualium,
approbari curauit.
Post conchyliatas sanctiori dibaphâ Curules, & bicornes vittas,
Vitæ Senatorum & laticlauia,
In hoc Kotficio Campo euoluantur est necesse,
Occurrit primo in vestibulo,
non degener surculus & aureus ramus,

DOBROGOSTIVS
RADOMICCIVS;

cuius ethymon nominis,
incoruptam fidem & illibatum amorem,
in Rempublicám testarur:
pro cuius integritate, purpureum cruoris iaculari imbrem,
semper paratus erat,
modò purpurei soles illi affulgerent:
Subsequitur hunc Gratia,

IOANNES
KOTFICZ,

mille in nomine suo & virtutibus spirans Gratias
& lepores.
Nouum cum crederes Amphionem;
qui abrupta montium iuga,
ad condendam de suo nomine Vrbem traxit.
IOANNEM in hoc secutus.
ad cuius vocem, nouo prodigio montana sáliére,
Vrbesq; turmatim effusæ accurrere.
Quippè
Non suffecerat huic magnanimo Heròi,
immortalium operum gestis famam Venari,
sed etiam vt saxeas montium fibras eruéret,
& ab informi lapidum pompa,
& crustatis artificum operibus,
nominis præconium aucuparetur.
Proximus illi in hanc Orbitam Campi descendit,
NICO.

NICOLAVS

Stabuli Regni Præfectus.

Hunc

Regum æui sui intelligentia, & tersissima pupilla,

Serenissimus & Inuictissimus,

SIGISMVNDVS I.

Poloniæ Rex,

Augustæ mentis eius indole perspectâ

Officialem Regni creauit.

Giganteos emetitur passus,

in hac Gentilis Campi arena,

Cyneas Sarmaticus,

STANISLAVS

GENERALIS,

PALATINVS,

MASOVIÆ.

Is Legatus in Gallias,

ad reuocandum de Regno profugum

HENRICVM

VALESIVM,

ita attonuit dulciori suadâ arrectas omnium aures,

vt Sorbonam sorbere stupor & admiratio cæpit.

Didicit tunc Hercules Gallicus,

non sibi tantum aureas inesse catenas,

quibus vinciat aures,

postquam se STANISLAI eloquio arctatum sensit.

Periclem illum HENRICVS ratus & Orpheum

post quem facilè iuisset, melleâ suadâ delinitus,

ni Patria Regni syren,

dulcibus illecebris & blándo lenocinio,

cum ad puppas suas detinuisset.

Sánè

Docuit hic magnanimus Orator,

non soli Galliæ Lilieto, calenti soli assueto

rosas & lilia inesse,

sed etiam frigido Sarmatico climati,

lilia & rosas ab ore fundens.

Post hunc

D   subit

Subit hoc theâtrum Olympiorum.
mens ipsa Martis & Heròûm amussis,

HIERONIMVS
RADOMICKI.

Palatinus Inouladislauiensis,
Wschouensis, Mosinensis, &c. &c. Præfectus:
atque ita subit,
Vt rigens Moschua, Pontus & Propontis,
ad aspectum eius, velut ad Persei parmam,
obrigescere videatur.
Ottomanica Luna, faciem inter nubila condit;
Vbi hunc Alcidam, in hanc aream Campi,
magnanimo passu descendentem videt.
Timet sanè hoc ferale astrum,
nè ab armata manu gladio, Sarmatici Scipionis,
ecclipsim patiatur,
& Chotimenses laureas, iterum attentare præsumat.
Murales Ciuicæ, obsidionales coronæ,
huius Capiti non suffecêre
cuius Heròa mens, palmarum sine numero victrix fuerat.
nisi vt deposito militari sago,
trabeam honoris, virtutisq; præmium indueret.
Figunt stationem suam firmissimam,
haud retrogradi in factis suis;
sed stationarii in arena Martis,
Gemini Tindaridæ,

MARTINVS & CASMIRVS,

Palatinidæ Inouladislauienses,
clarissima Orbiq; Lechico serenum inuehentia sidera
Primus quidem MARTINVS,
Capitaneus Wschouensis,
non tantùm prodromâ Heròicæ mentis virtute;
sed virili facundiæ ore,
Honoris sui curules prensauit.
Potens enim tanti viri eloquium.
gemmas & aurum fundebat,
quo fluctuantium animorum turbida æstuaria sedabat,
mille votis inuehens exoptatam malaciam
Nullum enim effatum illius erat,
nullum consilium

quod

quod ardenti suâ persuasione ignem non conciperet
In Consiliariis sulphureum sit ingenium,
quod in puncto flammam concipiat,
Vehemens necesse spiritus,
qui faces in frigida medulla accendat.
Hàc mirâ oris sui maiestate traxit etiam

Serenissimum ac Potentissimum Regem
VLADISLAVM IV.

pro cuius Domo in Comitialibus rostris,
nunquam non disertus & potens detonabat Tullius:
vt ei ceu alteri Hephæstioni,
Lechicus Alexander sua concrederet arcana.
Tantus quippè in hoc Heroè animi candor fuerat,
nullius tincturæ patiens, erga suum Principem
vt nihil vnquam erubesceret.
Innatum enim est & fuit omnibus Kotficijs,
[quos longiori ad præsens non teximus elencho]
concolorem votis rebusq; Priucipis animum semper tenere:
nec vlla arte aut cerussâ pingi,
nisi quam candida sinceritas illeuisset.

STADIVM III.

Jllustrissimi Parentis virtutum spendores continens.

Hactenùs itum est,
per multa Aboriginum Tuorum sæcula,
quorum nativus splendor, vsq; ad honorum capitolia processit,
& metam non moriturae famæ attigit:
nunc vrget & prouocat calamus ad hæc Olympia,
manes iam cælo receptos Progenitoris Tui,

Jllustrissimi olim & Magnifici Domini

CASIMIRI
De Radomicko
RADOMICKI,
Castellani Callisiensis
Capitanei Mosinensis &c. &c.

Celsi-

Celſitudini illius nihil ſuppar
quod non excedat.
nihil excellenti gloriæ comparandum,
quod non, ceu halo inter nubila diſpareat:
antequam in Oratorum calamos influat.
Encomiorum in eo moles, Atlante Mauritano celſior,
& ideo pumilionibus Oratorum,
à longè nonniſi viſenda, non metienda.
Nimirum
congeſta huc omnia, quæ ſinguli ſingula fecêre,
Rem ſanè
abſq; inuolucro, & condito melle Orbi propono.
Vt enim prætextam hic Magnanimus Heros depoſuerat,
& Gracias Athenas dereliquerat,
Patrijs coarctari finibus, animum non eſt paſſus,
vt potè ad magna natum,
ni ad peregrinum ſolem illum explorasset.
Difficilè enim vel in parua ætate, magni premuntur ſpiritus.
Fruſtra nimirùm ſeras expectes annorum periodos in ijs,
quibus maieſtas virtutis,
adhuc in rudibus pueritiæ lineamentis,
non fucatam ſenij conciliat reuerentiam.
Placuit CASIMIRO extra fines Patriæ progredi;
non tamen extra ſpatium & metam virtutis.
Ibat ille per exotica climata,
non vt per populos noſceretur, ſed vt notitiam hauriret.
Longinquas pertranſibat regiones,
non tamen longinquus à ſe & Patriis moribus.
Et cum aliorũ animi, diuturnâ ſequeſtratione à Patria detinerẽtur,
ille à grauitate Patrii moris, ſequeſtrari non potuit
cui ſalus Patriæ imis viſcerum medullis hærebat.
Reduci feliciter in Patriam,
domeſtici applauſêre lares:
cum ſui tenacem, ſucci CASIMIRVM,
peregrinæ conſuetudinis mixtura,
minimè pollutum agnouêre.
Atque
nè ſemina virtutis ac ſcientiæ,
quæ in vmbra Lycei, ac exotico ſole iecerat,
in tenebriorum angulis premeret,
in publicum ſolem digreſſus eſt
vſui ac negotijs Reipublicæ ſervire volens.

Amauit

Amauit hunc genium, illius,
ingens Bellatorum corona,

Serenissimus & Inuictissimus Rex
VLADISLAVS IV.

sub cuius signis ceu veteranus miles,
robustus acri militiâ puer,
didicit feroces Vexare Moschos.
Nec minori eum complexus est animo,

Serenissimus & Inuictissimus Rex,
IOANNES CASIMIRVS,

cui quouis in ardore belli comes aderat,
Meminêre id Berestecenses Cannæ
in quibus huic magnanimo Heròi succreuêre laurus.
Armauerat quondam in Lechicum Orbem,
Spartacus ille infamis Chmielnicius,
ruptis sacramenti legibus,
abortivum illud & fœdum Mœtodis monstrum
Cosacos rebelles.
qui felicissimas Russiæ oras & auream glebam
latè peragrarunt & vastarunt.
Contra quam lerneam colluuiem,
Inuictissimus Princeps
classicum belli ciens,
RADOMICIVS non segnius succurrit, quàm adfuit,
nobili succensus calore.
Iuit magnarum victoriarum comes,
non vitæ non fortunæ parcens,
ad omnem prælij arenam, benè præparatum pectus ferens.
Stetit hucusq; animosè in illo theatro certaminis,
impauidum pro Patria rotans mucronem,
donec malesanus rebellium furor,
& seruilis armorum rabies succumberet.
His trucibus experimentis animosè confisus,
maiores belli curas sibi somniabat
non ignauus Endymion sed strenuus Hector:
Hæc dum in Martio pectore versat,
ecce Aquilonaris Æolus!
è Finnico Codanoq; sinu erumpens
laceram Lechiæ nauim,

Nouis

nouis irarum fluctibus quatit.
Percussa tàm inopinâ inundatione Lechiæ ratis
vt potè ciuili Marte fatigata,
vocat magnanimos remiges, qui eam mergi, inter has
procellas non sinerent.
Accurritur vndiq; rebus iam in naufragio conclamatis.
Accurrit & RADOMICCIVS,
Lechicus Xerxes,
qui intumescenti Baltico mari,
toties ac toties vincula & compedes dedit,
Neptunumq; eius, omnia superbo Tridente quatientem
cum suis Argonautis,
quos proprio ære conduxerât,
creberrimis flagris castigauit.
Nihil enim fuerat huic Lechico Iasoni,
aureum paternæ hæreditatis vellus dissipare,
nisi vt hunc Pyratam Aquil narem,
sub pelle Leonis grassantem vulpem,
procul ad sua antra & recessus abegisset:
& ludum Patriæ attulisset.
Hæc dum agit:
ecce
Serenissimus & Inuictissimus
IOANNES CASMIRVS,
in præmium virtutis Martialis,
& pios erga Patriam labores;
sagum eius militare & gladium,
Senatoriâ trabeâ adornat, & fascibus:
nimirùm Castelleneatu Calissiensi ei oblato.
Sed Martialis genius,
iam Bellonæ curis & sago assuetus,
noluit sub molli purpura delitescere;
ni ad eam prensandam cogeretur:
æquè sibi ducens
in sago tueri Patrios focos, quàm in purpura.
Atq; sic noster Lechicus Achilles,
per truncata hostium cadauera,
& victrices palmas,
ad Senatorias Curules processit:
Vt ostenderet, honores virtute militari non profusis
gazis emendos esse.
Dilexit tanti Senatoris egregias animi dotes,

Illud

illud breue Orbis Lechici delicium;
iam verò ingens mœroris catapulta,

Serenissimus & Inuictissimus
MICHAEL I.
Rex Poloniæ,

cuius fideli operâ in arduis Reip: negotijs vsus est;
toties ac toties cum illo,
per tacitum sermonis nuntium certans.
Sed
non minori quoq; amoris tesserâ,
tanti Senatoris prosecutus est pectus,
illud
salutare Orbis Christiani scutum,
Triumphati Orientis terror & gemitus,
Thraciæ metus Lunæ & flagrum,
Vindex Austriaci Orbis,

Serenissimus & Inuictissimus
IOANNES III.

quem accensus face & æstu sitientissimo belli Heros,
ad reprimendum illum Phäëtontem Vezyrum,
Viennæ mœnia in fauillas conuertentem
secutus erat.
Non poterat contineri Martius ille in RADOMICCIO Vesuuius;
quin fumaret tantò calentiùs arderetq;
quum Vienna extremis laboraret,
& manum Epaminondæ Sarmatici præstolaretur.
Iuit grandævus ille Euander post Lechicum Pallanta,
galeâ premens canos capillos:
Vt Machometanam illam voraginem,
quæ Viennam sorbebat,
in abyssum cruoris præcipitasset.
Stupuit Austriacus Orbis & veneratus est,
in tàm tristi & effœto senio,
Viuacem Martis spiritvm & fomitem,
cum rueret totus, quâ confertissimus hostis
Immanes ausus & barbara tela ferebat.
Vos Viennæ mœnia compello?
Date testimonium & fidem!
quomodo RADOMICCIVS,
inter confertissimas acies, supra robur ætatis suæ
pugna-

pugnauit fortissimè;
donec tumidus Biston corruerit.
Magnus quippè Heros,
ingens æternitatis torcular, & naturæ prodigium,
ita ad Martis negotium natus fuerat,
vt etiam in letho vicina senectute,
nil nisi classicum, palmas & triumphos meditaretur:
quibus ad stuporem Orbis,
emensus est vitam, non spatio viuendi,
sed bellandi

STADIVM IV.

Breuis, sed laudatissimæ vitæ, virtutes & merita piè defuncti continens.

Eluctari ad sublimia & Capitolia gloriæ,
per Aboriginum Ceras,
& altò Endymionis somno stertere,
est quasi cereis cum Icaro pennis, in altum niti.
Tumor enim est nonnisi, & bulla protuberans,
longiori syllabo claros Aborigines numerare,
si propriùs desit meritorum decor.
Suo quisq; magis, quàm alieno nitere debet.
Malè solis concreditur gloria Ceris,
ni nascendi sors virtutum splendore excolatur.
Sæpè vidimus ex alto ruere præcipites in Pontum Icaros,
si tantùm Dædaleis, non propriis ferebantur pennis.
Certè
Hæsit non vnus in lubrico Hyppomenes,
qui aureis tantùm pomis, non pedibus,
Atalantam in cursu comprehendere voluit;
Plurimi Macedones,
in Hesperum, & alta noctis conticinia concessêre,
in Bucephalo Orientem gloriæ solem quærentes.
Brauium & coronam nemo Hercules in Olympiis accepit,
qui curru Æmiliani,
non curriculo propriæ virtutis, ad ea processit;
Ire debet quisq; propriis non alienis pedibus,
ad magni nominis agoniam.
Agnouit id ipsum

Illustris-

Illustrissimus olim & Magnificus Dominus,
STEPHANVS
De Radomicko
RADOMICKI,
Castellanida Callisiensis:

Et ideò
ad immortalitatis metam,
non solùm per longam Clarissimæ Propaginis seriem,
ferri voluit;
sed etiam vt propriis virtutum meritis ad eam eluctaretur,
Voluit ille lumen lumini addere,
serenumq; suum continuare:
non respiciendo retrò ad Maiorum lucem.
Triumphalia Parentis sui gesta,
præcessisse sibi ad exemplum ratus,
non ad gloriam.
Maternæ lucis primigenios splendores,
(quos in præstantissima Lechæi Zodiaci periphæria)
Gentilitius OSSOWSCIORVM Ceruus,
à tot sæculis spargit,
diluculum sibi ad gloriæ metam fuisse credebat,
ni sensim in adultum meridiem gloriæ procederet,
& à propriis meritis lumen quæreret.
Postquam enim infantiles bullas,
& pueriles nuces dereliquerat togamque induerat:
novus Iason in Cracios Delphos,
ad diripiendum aureum sapientiæ vellus mittitur,
nimirùm Academiam Cracouiensem.
In hoc erudito Lechæi Orbis senaculo,
Vsq; ad excellentiam ingenii & suaues Musarum delicias,
spei publicæ formatus & firmatus literis creuit,
Vt post hac grande Oraculum sapientiæ
nosceretur.
Sæpè ille ad fumigantes Epicteti lychnos,
in illa ætate, in qua alii ad Orphei neruum eneruantur,
Atticas noctes consumebat, & libris impallescebat:
vt postea in sole publico non expallesceret.
Mutos quidem Magistros (libros inquam)
sæpè legebat,
ex quorum silentio, plus se profecisse credebat,
quàm si millenis crepantes buccis audiret Hortensios.

F Lite.

Literis probè imbutus,
intra domesticos lares noluit diu detineri;
ni in Martialem arenam digrederetur,
magnitudine animi, & rerum gerendarum ardore summo,
sibi præeunte.
Ergò
- - Bistonij dum classica sæua Gradiui
Horisicis cecinére tubis. - - - - - - -
Vt Vienna Solimmanni olim Turcarum Imperatoris,
septennalis obsidii euanidus labor,
in offam cederet:
Nobilissimus Sarmatarum RADOMICCIVS,
plusquam ad Amphyonis lyram,
anhelitu maximo bellaces spiritus in pectore ciet.
Atq;
cupiens se præstare virum,
iuit lateris comes, vexilla secutus,

Serenissimi & Inuictissimi Monarchæ
IOANNIS III.

nec non magnanimi Æneæ,
nimirùm Parentis sui vestigia,
imperterritus Ascanius concomitatus.
Et cum
dedit immenso tractu certamina Biston.
palmam sibi præripi non est passus;
satis strenuè, heròice, auguste decertans,
Dic quæso! Viennâ tuis, quidquid sub mœnibus actum
quomodo RADOMICCIVS anhelabat mucrone cruento,
Viscera Thracum in puncto transfigere.
Illius vna fuit ambitio,
deposcere ardui operis frontem, & discriminis aleam
præireq; fulgentibus armis virisq;
vbi periculum cæpit:
donec tumidus Thrax, & totus Oriens,
Ipse sui spoliumq; ingens & fœda vorago, factus fuisset.
His palmis illectus & triumphis,
ad Strigonienses laureas processit,
- - - - inuicta gerens præcordia Martis,
Et validos nisus magni pro parte triumphi.
Atq; si vspiam certè hic,
grande theatrum virtutis heròicæ, Strigonium sibi fuerat
cum

cum Vortibus aufis toties fugacem
Proponticum Heluonem, Hunnoiq; rebelles,
Marte stupendo fugaret.
Tantis decoratus triumphis & onustus palmis,
redux ex Pannonia in Patrios lares reuertitur.
Ergò forsitan iam
RADOMICCII pugnacissima mens & anima,
sibi aliquod respirium dabit,
Vlneribusq; hiantibus Æsculapium admouebit?
minimè,
Vix deligitur muneri suppar Fecialis in Moscuam,

Illustrissimus & Magnificus Dominus,
CHRISTOPHORVS
in Grzymułtow
GRZYMVŁTOWSKI,
Palatinus Posnaniensis,
Capitaneus Stumensis, &c. &c.

illico RADOMICCIVS ea loca,
Aut sub bellicosissimi triumphis clara,
feruet inuisere;
Cyneæ Sarmatico & Nestori à latere comes!
Non illum angusta saltuum & bitumina paludum
ab hoc itinere arcere potuerunt.
Ibat generoso spiritu & magnanimo pede,
quò Magni Oratoris gressus mouebantur,
rigentis Moschuæ pupillas, post se rapiens.
Ipse Moschouiticus Imperator,
diu suspensos in illo oculos suos tenuit,
Magnanimæ mentis in eo speculatus actiuitatem.
Siuè enim poscebat equum, siuè illum regebat
quisque illum Macedonem credebat,
qui totum Orbem olim debellaturus fuerat.
Ast
sæpè spes & vota in herba marcescunt.
Cum enim inuicto animo frigidam regionis inclementiam
RADOMICCIVS tolerat,
redux in Patrios lares, languere cæpit.
Atq; sic
sensim contabescentibus viribus,
totum deinde animum vertit ad eam,

quam

quam breui initurus esset Æternitatem.
Cumq́ iam Originariam terra ad Ius suum reuocaret particulā
ad immortalitatis brauium, per tam ampla
Virtutum & meritorum Olympia excessit.
fatis sublatus iniquis.
Hic iam calame
lachrymas non sepiam, in hoc ebore chartæ funde!
cum tàm ingens expectatio & spes fidissima Lechi
occubuit.
Plangat Kotficianus Campus,
quòd eum amiserit, qui tot laureas virtutum,
& palmas tot decorum, illi inseruit,
& inserturus fuerat
si tantùm vitæ, quantum animo licuisset, sibi fuerat.
Procul hinc
festiuos plausus, & lætas acclamationes!
Parentales huc potiùs nænias, lessos lugubres congeramus
cum illi parentamus
cuius spatia meritorum satis amplâ,
Virtuti illius angusta fuêre,
Meretur certè lachrymas post funera,
qui vivus gaudia in omnes dispensauit.
Sed frustra vrgemus singultibus cælum
& lachrymis.
siquidem ille viuit, quem iam mortuum credimus.
Viuit in eo nunquam moritura virtus,
illumq́ aget penna metuente solui,
Fama superstes.
Vernabit semper in animis omnium,
quousq; Rosæ Marianæ in Vireto Zerkouiensi,
eius manibus plantatæ, florebunt.
Dabit testimonium & fidem eius meritorum
Ecclesia Obrzycensis:
in quam ille plusquam Persei imbre,
& riguo auro depluêre visus est.
Ipsa hæc Olympia, quæ ille
à calce, ut aiunt, vltra omnem Columnam
extendit, perpetuo laudis Stephanomate
STEPHANVM coronabunt.

BIBLIOTH. UNIV. ... POLONIAE

9. XIX. 42.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0009006